Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift



celebrantes · qui spiritus in instantis erumpnose uite oblectamentis
sydera regna penetrarunt felices cum agone certaminis sanctissime mar-
tine uirginis · aliorumque martirum · et confessorum uirginumque inmutabili c̄ fu·
certamine glorioso triumpho fortissimo · actuque fulgenti · libet et de
pluribus pauca decerpere · ut et eorum audientibus breui commento notascant.
actus et passio · huiusque uoluminis · deuitetur extensio · dum mentes intus
compendiosa lectione reficiuntur · et corpus exterius labore nimio non grauatur.
Licet enim tanto operi indignum me fore non ambigam · tamen quia pius labor
felici cursu peragitur · domino adiuuante · et facultatis copiam largiente ·
iniunctum opus aggrediar · Prologus in uitam Basilii episcopi.

Dilectissimi non erat indecorum fideles filios patris contristari de
functione · et lacrimam ei dare iustum · quemadmodum usque nunc omnes
compassibiliter tulimus · Postquam autem lamentationis caliginem secundum
quod scriptum est amouimus · et gratificam nos postulationem apud
omnium uerum dominum nostrum admouimus · necessarium credidimus memo-
rabilia et uitam ac magna miracula ipsius patris et magistri nostri basilii scrip-
ture tradere · ut non temporali percussione obliuionis profunditati tradantur.
Tribus siquidem sacratissimis et mirabilibus uiris Gregorium · dico in theolo-
gia decorum et gregorium mirabilem nisiensis ciuitatis · sed et effrem beatis-
simum alius autem epitaficis sermonibus uirum infulgentibus uisum est et mihi tan-
quam abortiuo ut apostolice loquar · in manibus habenti ab eis de uenerabilibus
uiris editas enarrationes quecumque his defuerint supplere · ut filio fideli patri
debitum replenti · Si enim scit nubes occultare solem · multo facilius
temporalis percussio bonis enarrationibus obducere nouit obliuionem · Ergo quoniam
magnus noster pastor et resonatus in orbe celestium uirtutum collocutor ac angelo-
rum ordinum conminister · magniloquus ecclesie predicator · solida ortodox-
orum dogmatum columpna · naturam rerum existentium expressit · inimicum
trinitatis deiecit · iulianum apostatam ualentis os blasphemum obstrux-
it · arrianorum debellauit malam gloriam · nicenorum plane corroborauit rec-
tam gloriam · pastor adquisite ecclesie per Christi regale sacerdotium · circumornatus
ouium Christi aries diuinae fidei doctor gloriosus et uiuens et post transitum
magnis splenduit miraculis · et oratione eius sic dictum est sancta iuliani